



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres**

**Schevichavius, Gisbertus**

**Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.**

Cap. LXII. Cvr Merito Ab Invidia Abhorreat Clericus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42349**

præcepto debemus, Diabolum obnoxia emulatione zelare Sap. 2. v. 24. magna enim etiam in Ecclesia, & in Clero, multoq; maior, quam in laicis est inuidia. Et hom. 44. ad Antioch. Inuidia vis totam subuertit Ecclesiam, & toti nocet terrarum orbi. Quodcumq; malum videris, ex hac radice producit, iam enim & in Ecclesia debacchata est, & prius innumera perpetravit mala. S. Gregorius libr. 3. Dialog. c. 15. Quatuor Monachis Florentio inuidentes, quod vsus eius oues pasceret, vsus occiderunt, qui elephantino morbo diuinitus percussi putrescentibus membris interierunt.

C A P. LXII.

CVR MERITO AB INVIDIA AB-  
horreat Clericus.

§. **A**B hac inuidia alienissimum esse virum Ecclesiasticum desiderauit, & præcepit Apostolus 1. eo ipso quod prohibuit esse superbum Tit. i. v. 7. Si quidem superbiæ filia & pedissequa est inuidia, quemadmodum optimus auctor docet S. August. lib. 11. de Genes. ad litteram cap. 14. Cum, inquit, superbia sit amor excellentiæ propriæ; Inuidia verò sit odium felicitatis alienæ; quid inde nascatur, satis in promptu est, amando enim quicq; excellentiam suam, vel paribus inuidet, quod ei coæquantur, vel inferioribus, ne sibi coæquantur, vel superioribus quod iis non coæquantur. Superbiendo igitur inuidus, non inuidendo quisq; superbus est. 2. Remouet & à Clerico inuidiam Apostolus, cum iubet esse benignum, Tit. i. vers. 8. φιλάγανος, id est, qui sit probo ingenio bonarumq; rerum ac hominum amans & studiosus, qui piis operibus & virtutibus delectetur alienis. At inuidia aliena infelicitate lætatur & fælicitate cruciatur. 3. Eandem *t. nebrariū.* inuidiam inter pudenda, lucē refugientia, ac latebras

Superbia  
facit liuor.

Nemo bo-  
nus inui-  
dens.

Inuidia opus  
t. nebrariū.



quæretia recēset Apost. Rom. 13. v. 13. & in teterrimorū facinorum numero ponit 1. Tim. 6. v. 4. Tit. 3. v. 3. neq; mirum: ex diametro siquidem pugnat cum caritate, quæ virtutum Regina est, & plurimis modis à Christo Deo nobis commēdata. *Caritas*, ait Apostolus 1. Cor. 13. v. 4. *non amulatur*, tanto autem execrabilius est vitium, quanto nobiliori virtuti contraponitur. 4. Arguit & hominem, non esse spiritalem & probum, sed carnalem & improbum 1. Cor. 3. v. 3. *Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* 5. Est & idem scelus sempiterno plectendum supplicio, vt affirmat Apostolus Galat. 5. ver. 21. *Quod & inde ostendit S. Cyprian. tract. de zelo & liuore. Quid, inquit, cani similis existis? Homicidii namque facinore constringi eum, quisquis zelauerit & odio habuerit fratrem suum, declarat Ioannes Apost. in epist. sua dicens 1. c. 3. Qui odit fratrem suum homicida est, & scitis, quia omnis homicida non habet in se vitam manentē.* 6. Quo loco & idem S. Cypr. Latè pater zeli multiplex & secunda pernities. Radix est malorum omniū, fons cladum, seminarium delictorum, materia culpæ. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Auaritiam zelus inflammat, dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiozem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiozem zelo excoecante sensus nostros, atq; in ditionem suam mentis arcana redigente Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, iudicii dies non prouidetur, &c. Quod inuidia omnium scelerum origo sit & doctrina est S. Iacobi cap. 3. v. 16. *Vbi zelus, ait & contentio: ibi inconstantia & omne opus prauum. Quod & tradit S. Chrysofomus homil. 44. ad pop. Antioch.*

*Liuidus diuini spiritus expers.*

*Inuidia gehenna plantatur.*

*Inuidia plurimorum scelerum mater*

*Liordama: nis peccasā.*

§. 7. Inuidia proprium Diaboli vitium & peccatum est, vt loco citato habet B. Cyprianus & S. Basil. hom. 11. D. August. epistola 48. ad Vincent. Imò vt ait S. Gregorius libro 5. Moral. c. 34. *Quamuis per omne vitium,*



*Inuidus de-  
mons peior.* rium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus in-  
funditur, in hac tamen nequitia tota sua viscera serpens con-  
currit & imprimenda malitia pestem mouet de quo nimirum  
scriptum est Sapient. 2. versic. 24. Inuidia Diaboli mors in-  
troiuit in orbem terrarum, imitantur autem illum, qui sunt ex  
parte illius. Sanctus Chryostomus homilia 44. ad An-  
tiochen. inuidos asserit demonibus deteriores, quia  
licet implacabile nobiscum bellum gerant, conforti-  
bus tamen generis non insidiantur. Has ob causas  
monet Apostolus Galat. 5. versic. 26. Non efficiamur in-  
anis gloria cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Et  
Sanctus Petrus 1. epistola cap. 2. versic. 1. 2. Inuidi fu-  
giendam consuetudinem hortatur Salomon Prouer.  
23. versic. 6. Sapient. 6. versic. 25. De hoc Conc. Carth.  
4. cap. 60. & habetur distin. 46. c. 7. Clericus inui-  
dens fratrum praefectibus, donec in vitio est,  
non promoueatur.

G A P. LXIII.

SEGNITIE SINDI VINO  
cultu detestanda.

*Quid acedia* §. **A** Cedia siue remissi animi ad benè operandum  
languor & tristitia de spiritali re perficienda  
Ecclesiastico viro, omnibus modis fugienda; vt qui  
non ad delicatam & voluptuariam sponfi, sed ad ope-  
rosam & semper aliquid piè molientem vitam Christi  
Domini, non ad otium, sed negotium, non ad torpo-  
rem, sed laborem, non ad inertiam, sed industriam  
vocatus sit. Elegi vos, inquit Dominus Ioannis 15. ver.  
16. & posui vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vestri  
maneat. Non sinit Christus vt Clerici stent tota die oti-  
osi, & multo minus in peccatis negotiosi, neque dice-  
re pos-

*Acedia Cle-  
ricorum vo-  
cationi re-  
pugnans.*